

A  
0  
bl.



Aug. 1

31

DE  
TEMPLIS  
CHRISTIANORUM

PRAEFATUS,

DEDICATIONI TEMPLI ACADEMICI WIT-  
TEBERGENSIS EX CINERE, QUAE DEI GRATIA  
EST, RESUSCITATI, ET DIE 6. AUG. 1770. SO-  
LENNI RITU INAUGURANDI, EX ANI-  
MO PLAUDIT,

EAMDEMQUE

INCLYTAE ACADEMIAE WITTEBER-  
GENSI

EX PIO ANIMI AFFECTU GRATULATUR

M. GOTTHELFF FRIDERICUS OESFELD,  
PAST. ET INSPECTOR LOESNICENSIS ET SOCIET. LAT. IE-  
NENSIS MEMBRUM HONORAR.

---

SCHNEEBERGAE, TYPIS FULDIIS.

16

DE  
TEMPORIS  
CHRISTIANORUM

PRAEFATUS  
DEDICATIONI TEMPLI ACADEMICI WIT-  
TENBERGENSIS EX CINERE QUAE DEI GRATIA  
EST RESUSCITATA, ET DIE 6 AUG. 1770 SO-  
LEMNI RITU INAUGURANDI EX AN-  
NO PLACUIT.

LAUDIBUS  
INSTITUTAE ACADEMIAE WITTEBER-  
GENSI

PER PIO ANIMI AFFECTU GRATULATUR  
SAC. GOTTHELF FRIEDRICH OESERUS  
SAC. THEOLOGOR. LITTE. ET SOC. LIT. IN-  
SIS MEMBRUM HONOR.

---

SCHNEIDERGASSE, Typis Furdis





stae erant, vel denique, ubi Sacra Deo fiebant, prae aliis sanctae, et a profano usu accessuque remotæ iudicabantur. Nec in se considerata hæc sententia aliquid vitii habere videtur, dummodo nihil superstitionis admisceatur et nulla terrae tamquam rei libertate non præditæ inhaerens et insita quasi tribuatur sanctitas. Sanctum enim vel sacrum illud, quod a communi usu remotum et seiunctum est, appellatur, quodsi de rebus non animatis, hi termini dicuntur.

In locis sanctis in primis templa antiquissimis iam temporibus relata sunt, ideo, quod non solum Deus in iisdem habitare, sed quia hæc loca etiam a nullo profano adiri, nec a sacrilega manu violari oportere iudicatum est. Quae unquam gens ullo religionis sensu prædita fuit, ea quoque templa, delubra, fana atque sacella exstruenda esse iudicavit, quæ non modo religiose colenda, sed in iis quoque preces fundendas, et sacrificia Diis offerenda esse duxit. Recte enim Plutarchus aduersus Colotem tom. 2. oper. p. 1125. si quis terrarum orbem perlustret, inquit, urbes inueniet, muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiis etiam et theatris destitutas: urbem uero templis, diisque carentem, quæ precibus, iureiurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, neminem vidisse unquam., Et si quoque loca templis destituta darentur, ex illo tamen nulla ratione colligi posset, quod gens ibi habitans nullo plane religionis sensu tangatur. Suos habere potest lucos, ut veteres Germani, cauernas subterraneas, riuos, in quorum littore sacra quomdam peracta sunt, cliuos montesque religioni dicatos.

Inter gentilium templa in primis Dianæ templum, quo Ephesus superbiebat, est memoria dignum, quod splendore aedificii atque vaso-

rum,

laestina vocatur terra sancta, quia Sanctissimus in Israël in illa hominibus comparuit, et salutifera ibidem vestigia prescit. Eadem ratio subest, quod ante natiuitatem Christi iam illa terra sancta fuit eredita, quod Deus variis miraculis suam præsentiam ibidem manifestauit. Idcirco Naëmann Syrus molem terrae sanctae in Syriam transferebat, ut aram in Dei Summi honorem ex illa exstrueret; quæ res vitio illi non verti potest, si ex eo enata est argumento, ut ara ista perpetuum illi signum de mirabunda sanatione in Iordane esset. Quodsi vero viatores, qui religionis ergo in Palaestinam excurrunt, terram sanctam, cui internam quandam sanctitatem et peculiarem indolem inesse credunt, secum asportant; illa res san-

ctam

rum multa eius generis templa vicit, quod uero deinde ab Herostrato incensum est. Solis templum in Egypto, quem fugit, insigni præstantia sua exsplenduisse? Pantheon Romanorum, quod iam Mariæ virgini dicatum esse fertur, omnibus diis deabusque apud gentiles sacrum erat, de quo Plin. l. 36. cap. 15. Ammianus 16. cap. 10. mentionem faciunt. Templum quoque Athenis fuit, quod ignoto Deo inscriptum fuisse Act. 17, 23. commemoratum legimus, ideo, quod Athenienses, pro summa eorum superstitione, nullum Deum, si quis forte adhuc incognitus esset, adorationis cultusque expertem esse volebant. Capitolium Romæ summa præstantia et pereximio splendore omnium oculos perstringebat.

Sed missa facimus hæc idololatriæ vel splendissima theatra, in quibus fictitiis tantum diis adorationis ac venerationis thura in summi et unius Dei ignominiam accendebantur; et ad ea nos templa atque sacra-ria convertimus, quæ religionis erga summum Numen causa condita eidemque fuere consecrata.

Tempore V. T. antiquissimo nullum plane exstabat templum, sed pro simplicitate vetustissimorum temporum, sacra sub dio, vel etiam in patriarcharum tuguriis Deo peragebantur. Interea iam ex Gen. 28, 22. liquet, Iacobum Deo suo non solum altare, sed templum seu domum promississe. Deinceps Mosis, Dei iussu, foederis tabernaculum parauit, quod cum Salomonis templo magnam habuit, quoad uasa, personas, ritusque sacros, conformitatem. Salomo, rex populi Israelitici, et vel in hoc typus Christi, qui pacem nobis æternam parauit, ideo, quod bellum non gesserat, Deo templum illud magnificentissimum extruxit, de quo 1. Reg. 8. agitur, et hac ratione grande opus, quod Dauides pater diu meditatus erat, quam felicissime peregit. Postquam vero illud

(a) 3

per

etiam simplicitatem sapere videtur. Annabergae in coemeterio est eiusmodi regio, quæ terra sancta idecirco appellatur, quia quondam ante Lutheri reformationem viator quidam pusillum terræ sanctæ e Palaestina in illa regione dispersit; et nostra memoria mos ibidem obtinet, ut locus sepulturæ in illa sancta regione certo pretio sit redimendus. Quod vero Patriarchæ in Palaestina ut sepelirentur, quod in Iacobo et Iosepho elucet, tam insigni flagauerint desiderio, id non ex sanctitatis terræ illius opinione, sed potius, ut a gentilium iniuria corpora eorum manerent libera, et ad certam spem de futura deductione Israelitici populi in terram Canaan, testificandam, explicandum esse videtur.



per Nebucadnezarem destructum et in cineres redactum erat, qui etiam vasa sacra secum abstulerat, iisdemque in quodam lectisternio foedissime abusus erat: tandem aliquando secundum templum per Iosiam et Serubabelem funditus ex mandato regis Darii exstructum est, cuius Efr. 6. mentio fit. Idem vero illud in excidio Hierosolymitano ultimo denuo destructum et plane desolatum est, id, quod Christus Matth. 24. vaticinatus erat.

Postquam benignissimus generis humani redemptor in terris comparuerat, ut nos ex peccatorum sentina et omnium calamitatum voragine eriperet et in libertatem vindicaret: gregem sibi et ecclesiam partim ex Iudæis, partim ex gentilibus collegit, ita, ut ex duobus quasi ouilibus unus grex cogereur.

Post plantatam vero Christi ecclesiam non statim templa splendide exstructa ad Christo cultum faciendum suppetebant: sed Christi aedificæ partim in templo Hierosolymitano ante eius excidium, et in primis in porticu Salomonis Act. 2, 46. partim in Synagoga, partim in priuatis domibus conuenire, et editiorem in illis locum (*ὑπερωον* Act. 1, 13.) occupare, ibidemque Sacra Deo facere consueuerunt. Quid? quod tempore persecutionum, quæ mox in Christi nomen profitentes defæuere coeperunt, in coemeteriis, uel etiam in aliis locis abditis atque ab hominum frequentia remotis, etiam nocturno tempore, sanctos agere conuentus, coacti sunt; in quibus, quod Plin. ep. lib. X. ep. 97. testatur, Christo suo tamquam Deo carmina dixerunt, seque sacramento, non in scelus aliquod, obstrinxerunt, sed, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis mos illis discedendi fuit.

Cessantibus denique funestissimis illis Christianorum cladibus, et euangelii lumine magis magisque increbescente etiam publica templa Christiani aedificare coeperunt, quæ quidem non adeo ab initio fuere splendida, sed sua se tantum munditie atque simplicitate commendabant. Exstruebant autem templa sua versus Orientem solem, ut a Iudæis Occidentem versus preces fundentibus se distinguerent, et in honorem atque memoriam solis iustitiæ, cui etiam solis diem consecrarunt. Tribus potissimum partibus hæc templa absolvebantur, quarum prima chorus,

Βησα,



*Ἐκτα*, secunda navis, *ναός*, tertia vero *ναὸς*, porticus dicebatur, vid. Allatius de templ. gr. epist. 2. Will. Cave *erstes Christenthum* cap. 6. p. 147. Nomine *templi* autem primi Christiani abstinuerunt: locosque suos sacros ecclesias, basilicas, sacraria, domus Dei appellare maluerunt. Ita enim Hieronymus adv. Vigilantium ad Riparium ep. 53. cum Iuliano persecutore, inquit, sanctorum *basilicas* aut destrueret, aut in *templa* converterent. Itemque Salvianus lib. 3. de providentia: itaque *templa*, vel potius ecclesias, et altaria Dei, minoris reuerentiæ quidam habent. De templorum apud Christianos origine vid. Hospinianus in singulari de hac re tractatu, et Berneggerus de idolo Lauretano p. 34.

Tempore vero Constantini M. religio Christiana caput maxime exultit, qui etiam, teste Eusebio, multis locis ædes in Christi honorem extruxit. Mater ipsius Helena in templis aedificandis imperatori fuit æmula, et egregio zelo flagravit Christi doctrinam per totum terrarum orbem dilatandi. Illam enim vel in Palæstina ultra 30. *templa* extrui curasse, Eusebius auctor est in vita Constant. M. lib. 4. cap. 40. Theodoret. l. 1. cap. 30. Niceph. l. 8. c. 30. Ex quo tempore Christianorum *templa* subinde fuerunt aucta, et sensim atque pedetentim facta sunt splendidiora. Ornamenta enim templorum subinde augebantur, adeo, ut a Saeculo quarto *templa* vario modo coeperint exornari. Hæc ornamenta erant tum inscriptiones operis musivi, et lacunati, seu inaurati; et donaria, seu anthemata ex voluntate quorundam donata; arma hostium, picturæ historiarum et hominum viuorum mortuorumve, at primum sine cultu illis exhibito, qui demum Saeculo octavo invaluit; usque dum denique idolorum superstitione, aliaque supervacanea templorum anthemata, quæ gentilismum sapiunt, Christianorum *templa* infecerunt, Lutheri nostri megalandri opere reformationis demum repurgata.

Crescente templorum numero etiam in varias classes distributa, et varia nomina sortita sunt. *Basilicae* erant magnae et capitales sacrae aedes. *Cathedrales*, Dom-Kirchen, quibus episcopus in adiacente *domo* præerat. *Oratoria*, in quibus nulli actus ministeriales, præter sermones sacros, fiebant. *Memoriae* erant in honorem martyrum exstructae, ideoque et *martyria* dicebantur. *Capellæ*, quibus Diaconus præerat,

a cap-



*a cappa*, reliquiarum sanctarum arcula, ita dictae, *Collegiata*, *Stifts-*  
*Kirchen*. Quibus dein ecclesiae aulicae, academicae, itemque illae,  
quae in Xenodochiis et nosocomiis inveniuntur, nec minus metallicae, et  
castrenses fuerunt adiectae. Distinctio ecclesiarum in matres et filias cui-  
uis est obuia et notissima.

Templa Christianorum sunt in pereximiis Dei beneficiis habenda.  
Ipsa enim ratio hoc perspicit, non solum certos atque statos dies non  
longo interuallo a se invicem distantes, esse ad cultum Dei publicum eli-  
gendos, ut plebs non solum erudiatur, sed, ut animi quoque ab omni  
perturbatione liberi, et a labore quotidiano vacantes, ad Deum, et me-  
ditationes diuinas extollantur: sed certa quoque loca publicis conuenti-  
bus apta, quae certum numerum auditorum capere, eumque contra tem-  
pestatis iniurias protegere possint, et in quibus, si quidem muris circum-  
cluduntur, vox praëconis ab omnibus exaudiri possit, circumspicienda  
esse. Et hunc egregium usum Christianorum templa praëbent. Sine il-  
lis cultus Dei publicus foret valde languidus, et incompositus, nec  
possent omnes actus ritusque sacri *κατα ταξιν και ευσχημωσυνην* per-  
agi. Sunt quidem Methodistæ in Britannia, qui sub dio sacra Deo fa-  
ciunt, et pro concione dicunt: ast non modo sæpius tempestatis iniuria  
illorum coetus dissipantur, sed etiam sonus verborum in auras abit, nec  
in aperto loco omnium potest aures ferire.

*Templa Christianorum non contemnenda, non nimis extollenda, non  
profananda sunt.* Fuere etiam in Christianorum coetu eiusmodi tem-  
plorum contemtores, qui aliquod internum lumen præ se ferentes ex-  
ternum Dei cultum parvi fecerunt, et de templis quoque abiecte co-  
gitarunt. At enim uero cultus Dei internus etiam foras erumpere et  
fidei lumen etiam radios mittere, ex voluntate Dei, debet. Per cul-  
tum externum confessio religionis pernecessaria ex Christi effato prodi-  
tur; per hunc alii adhuc coeci, ope verbi diuini, illuminantur; huius  
beneficio veræ deuotionis et pietatis studium in multis accenditur; hoc  
gloria Dei summi, ad quam celebrandam nati et redempti sumus, illustra-  
tur. Non ferendi igitur sunt Messeliani, qui templa plane iudicauerunt  
superuacanea, teste Augustino lib. XX. adv. Faustum Manichæum. Non  
ferendus Eustathius ep. contra quem Synodus Gangræn. convocari debuit,  
cuius



cuius rei Socrates in hist. eccl. lib. II. cap. 43. fidem facit. Non ferendus recentioris memoriae Weigelius, qui, per quamdam internae sanctitatis speciem, templa Christianorum externa variis contumeliis affecit. Ianuis templorum inscribat: Spelunca homicidarum, Mörder-Grube, cathedras sacras appellabat fellas pestiferas; omnesque illos, qui manus in templa diruenda iniicerent, gratum Deo facere, clamitabat. At ille ab usum ab usu separare non nouerat, et atram bilem contra externum Dei ex praescripto verbi scripti cultum celare non poterat.

Licet vero iustum templis pretium statuendum eademque tanquam certum pignus durantis adhuc liberi exercitii religionis magni sint facienda: non tamen superstitiose colenda et non fallaces in templorum nitore spes collocandae sunt. Christus ipse nobis interdixit, ne quis per templum iuraret, Matth. 23, 16. Iurandum enim tantum per Deum est: templa vero sunt res creatae, et manibus mortalium factae. Hic est templum! hic est templum Domini! clamabant increduli, et scelesti Israelitae, et hoc templo tanquam peculiari signo diuini in hunc populum amoris superbiebant. Ier. 7, 4. Quid enim iuvat templum ex lapidibus constructum, si mens non templum Dei uini est, in quo Spiritus Sanctus habitare possit?

Profanatio templorum multifariam fieri potest. Non quidem, quod nonnulli existimant, templa nostra profanantur, si illi, qui grandia delicta commiserunt et perfugium in templis quaerunt, in ipsis templis capiuntur et captiui educuntur. Templa enim nostra non sunt asyla effrenis libidinis et improbitatis, nec furibus, latronibus et homicidis in fraudem iustitiae, perfugium praebent. Licet enim in primitiva ecclesia templa illis patebant, qui a manu iustitiae vindicatricis fugiebant: hoc tamen asylum illos tantum ante causae cognitionem protegebat. De caetero omnibus illis, qui ob grandia delicta inculpato erant, v. c. ob caedes, furta, aditus in sacraria, non patebat, nec templa securum illis spondebant refugium, vid. Georg Maevii asylogia Ebraeorum, gentilium et Christianorum. Lips. 1673. edit. Profanantur vero templa primo, si quis non iusta reverentia et deuotione erga Summum Numen, quod in illis locis adoratur, et gratia sua praesens est, templum ingreditur. Gentiles templa sua summa deuotione visitabant: et veteres Germanos se in sa-

(b)

cros



eros lucos humi repentis contulisse, Tacitus de mor. Germ. auctor est. Veteres Christiani etiam variis documentis animum devotum in templis ostendebant. Tempia ingressuri manus lavabant; alicubi etiam calceos exuebant, atque portas columnasque amplexi exosculabantur; imperatores diadema deponebant, et Satellitium dimittebant. vid. b. Baumgarte-  
nii antiqu. Sacr. p. 62. Mox vero, cum mores Christianorum in pejus ire coeperunt, etiam de hac externa veneratione in templis exhibita non nulli multum remiserunt. Chryostomus igitur hanc in templo deuotionem homil. 36. in 1. Cor. XIV. tom. IV. opp. f. 567. graviter inculcat: non enim tonstrina, inquit, neque unguentaria officina, neque una alia opificum, qui sunt in foro, taberna est ecclesia, sed locus angelorum, locus archangelorum, regnum Dei, ipsum coelum. Quemadmodum ergo si quis te coelum introduxisset, etiam si patrem videres, etiam si fratrem, ne auderes quidem alloqui: ita hic ne aliud quidem loqui oporteret, praer spiritualia. Quid quaeso ille grauis et pius orator diceret! in quam admirationem raperetur? si multos gregarios Christianos, prouti iam Saeculi genius fert, in sanctis nostris templis blaterare, ridere, fannis et dieteriis alios excipere, habitu et gestu lasciuo incedere, oculis aliorum amorem venari conspiceret. O tempora, o mores!

Profanatio templorum fit deinceps per delicta in loco sacro commissa; per rixas, altercationes, caedes, fornicationes ad templi fornices peractas et exinde nomen sortitas, per furta, sacrilegia et sic porro, quae eo maius momentum trahunt, et eo grauiorem poenam promerentur, quo sanctior ille locus est, qui eiusmodi flagitiis quasi inquinatur.

Profanatio templorum quoque ita peragitur, si vel templum ipsum vel vasa sacra ad alios et profanos usus transferuntur, quam, quibus destinata sunt. Sic belli illius funesti tempore, quod iam Dei gratia superavimus, multa sacraria stabula equorum vel frumentorum receptacula facta sunt.

Maxima demum templis illata iniuria est illorum praeter omnem necessitatem et ex quodam religionis odio male fano facta incensio atque desolatio. Apud gentiles omnia templa erant loca inviolabilia, et si victores etiam urbes expugnauerant, templis tamen atque Diis pepercerunt, ne cum diis pugnare, iisdemque iniurias inferre viderentur.

Amor



Amor templorum est legitimus, et cum sacrae Scripturae effatis sanctorumque exemplis plane congruens. Amo, domine, Dauides inquit, quin in summis deliciis habeo locum domus tuae, et sedem, in qua gloria tua habitat — Quam amabilia tabernacula tua, Iehovah exercituum! concupiscit anima mea et flagrat desiderio ad atria tua, o Iehovah — Beati habitatores domus tuae in saecula laudant te — melior est dies in atriis tuis, quam alibi mille: elegi esse in limine domus Dei mei potius, quam habitare in tabernaculis impietatis, Ps. 84. Pari modo rex Salomo in aedificando et inaugurando templo I. Reg. VIII. amorem suum intensum erga templum altissimi Dei testificatus est. Donationes in templa collatae, vasa sacra et ornamenta templorum, bona mente et in Dei honorem, ab amicis verbi diuini, data, sunt, si modo omnis ambitionis, mercedis ex inde exspectandae vel meritorii operis edendi labes abest, non improbanda, potius laudanda et ad posteros commemoranda amoris in domum Dei signa.

Restat, ut de dedicatione, consecratione et inauguratione templorum quaedam subiungamus. Missas iam facimus dedicationes templorum gentilium, quae per augures peragebantur, inde inaugurationum nomen sortitas. Tempa verae religioni addictorum sancta ratione fuere dedicata atque consecrata. Salomo translatione arcae foederis ex Siloh in templum, dein precibus, benedictione et sacrificiis, templum, quod exstruxerat, Deo dedicauit, cuius rei I. Reg. cap. VIII. toto uberius mentio fit. Summarum populus hilaritate perfusus est, de quo v. 66. dicitur: die octauo dimisit (Salomo) populum, et benedixerunt regi, et abierunt in tabernacula sua leti et hilares animo propter omnia bona, quae fecerat Iehouah Dauidi seruo suo, et Israeli, populo suo. Secundum templum, quod quidem primum externo splendore non aequauit, at ideo, quod ipse templi Dominus Iesus Christus illud ingressus est, palmam eidem praecepit, sub Serubabelis et Iosuae administratione, post captiuitatem Babylonicam, ex Cyri et Darii mandatis, restauratum est. Eius consecratio Esr. 6. commemoratur, ubi v. 16. seq. sequentia leguntur: fecerunt filii Israelis sacerdotes et Leuitae, et reliqui filii transmigrationis dedicationem domus Dei huius cum gaudio; et obtulerunt in dedicatione domus Dei huius, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, et hircos caprarum



in sacrificium expiatorium pro toto Israel duodecim, pro numero tribuum Israel etc. non multo post Passæ solemnitas est subsequuta. Illud vero dedicationis templi festum, quod quotannis celebratum apud Iudæos est, et cuius passim in N. T. libris, v. c. Ioh. 10, 22. mentio iniicitur, se ad repurgationem templi ex profanatione per Antiochum retulit 1. Macc. 4, 59.

Apud Christianos templorum dedicatio Sæc. IV. demum coepit. Ab initio concilia templa consecrarunt, dein episcoporum hoc singulare fuit negotium. Dedicabantur vero templa precibus, hymnis et sacrorum publicorum administratione. vid. Euseb. hist. eccl. I. 10, 3. in vita Const. M. IV. 48. Gaudentii serm. 17. Ambr. S. 89. ej. adhortationis ad virg. Socr. hist. eccl. I. 28. II. 7. Sozom. II. 26. Theodoret. I. 31.

Formula initiationis templorum erat: *domus Domini domus precum*. Eusebius in vit. Const. M. l. IV. c. 45. de solempni templi Hierosolymitania Constantino M. prope sepulcrum Christi constructi, dedicatione sequentia, quibus ritus tum temporis observatos descripsit, retulit: At sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus festiuitatem ornabant. Alii si quidem comitatem religiosi imperatoris erga omnium servatorem laudibus celebrabant: et martyrii (scilicet hoc templum dicebatur *μεγαλειοτατον*, et ab Athanasio *σολημνιον μεγαλειοτατον*) magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris theologiae dogmatibus ad præsentem celebritatem accomodatis spirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos et mysticos sensus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc adspirare non poterant, incruentis sacrificiis et mysticis immolationibus Deum placabant, pro pace communi, pro ecclesia Dei, pro imperatore preces Dei suppliciter offerentes. Ibi nos quoque, quibus maiora, quam pro meritis nostris, bona contigerant, variis sermonibus publice habitis, solemnitatem decoravimus, nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc prophetorum oraculorum sensus apte et accomodate ad præsentis figuras et imagines pronunciantes. Hoc modo solemnitas ipsius imperatoris tricennialibus summa cum hilaritate celebrata est., Exemplum eiusmodi dedicationis templorum etiam præiuit Augustinus, qui Serm. 5. in dedic. ecclesiæ, in hæc verba loquutus est:., Principaliter gratias agamus Domino Deo nostro, a quo est  
omne



omne datum optimum, et omne donum perfectum, et eius bonum tota cordis alacritate laudemus, quoniam ad construendam istam domum orationis fidelium suorum visitavit animum, excitavit affectum, surrogavit auxilium, inspiravit nec dum volentibus ut vellent, adiuvit bonæ voluntatis conatus, ut facerent, ac per hos Deus, qui operatur in suis et velle et perficere, pro bona voluntate, hæc omnia ipse coepit, ipse perfecit. Et quia opera bona in conspectu suo nunquam esse permittit inania fidelibus suis, quibus operantibus præbuit virtutis suæ favorem, tribuet condignam pro tanta operatione mercedem. Et serm. 16. ita grauter inquit: Prima fundamenta in cordibus vestris, Apostolica et prophetica monita iacite; humilitatem vestram sicut pavimentum sine offensione prosternite; salutarem in corde uestro doctrinam orationibus et sermonibus tanquam firmis parietibus communitate; diuinis eos testimoniis tanquam luminaribus illustrate; infirmos sicut columnæ sufferte; inopes sicut tecta protegite.,,

Auctis dein ritibus et ceremoniis in ecclesia, quorum incrementum et multiplicatio, decrementum et diminutionem interni Dei haud fucati cultus in spiritu et veritate quasi refarcire et compensare debuit, etiam dedicationes templorum variis ritibus inanibus et parum utilibus celebrari coeperunt.

Dedicationes templorum in Pontificiorum coetu solennes Durandus l. 1. ration. offic. div. c. 6. et Pontificale Romanum fol. 105. seqq. describunt. Nimirum si templum aliquod inaugurandum, ieiunium indicitur illi populo et clero, ad quem illud templum pertinet. Reliquiæ sanctæ altari destinatæ parantur, et ab inaugurante episcopo describuntur, atque inuoluuntur. Quatuor templi parietes signo crucis ita quidem exornantur, ut in quolibet pariete tria signa crucis conspiciantur, et super quolibet luminare accendatur. Episcopus dein veste episcopali indutus solenni processione templum adit, populo interea Psalmos quosdam et Litaniam sanctorum cantillante. A dextra templum circumiens parietes ejus aqua benedicta conspergit. Ante portas templi stans preces mussitat, et ter limina templi pulsat inquit: principes terræ aperiant portas regi gloriæ, ut rex gloriæ ingrediatur. Capellanus quidam solus templo inclusus respondet: quis est ille rex gloriæ? Episcopus excipit: est Dominus præpotens et fortis in bellis. Dein denuo templum circumit, et

(b) 3

pari-



parietibus aquam benedictam adspersit circa fundamenta eorum; id quod sinistrorsum tertia vice repetit. Capellanus eandem quaestionem repetit, quoties limina pulsantur ab episcopo. Tandem episcopus clamat: aperi, aperi, aperi, et signo crucis limen signat; templum cum paucis intrat inquit: pax huic domui! Canuntur in templo quaedam antiphona et Veni creator Spiritus; interea pavimentum cinere in formam crucis regitur, cui cineri episcopus A. b. c. graecum et latinum baculo inscribit. Tunc vinum aqua, cinere et sale commiscetur, postquam exorcismus daemona ex his rebus fugavit, ut hoc chrysmate templum inauguraretur. Quo facto altari per signum crucis et aquam benedictam benedicit, septies illud circumit, et ultima vice canitur ex Ps. 51. adsperge me Domine etc. Tum parietes ab interiori parte et pavimentum manu per formam crucis agitata consperguntur. Tum oratio ad populum habetur de vi et efficacia dedicationis, de Sancto, cui dicatur templum, de reuerentia erga sacerdotes, et sic porro. Dein porta chrysmate ungitur, a porta abit ad altare, idemque, recondens in illo reliquias, probe inungit et thura incendit. Quo facto duodecim signa crucis in parietibus unguento suo oblinit, inquit: Sancti  $\dagger$  ficetur et confectur hoc templum in nomine Patris et Filii, et Spiritus  $\dagger$  sancti; in honorem Dei et gloriosae virginis Mariae et omnium Sanctorum, in memoriam sancti N. Pax tibi. Quo facto thuribulum parieti admovetur. Redux tandem ad altare thura in formam quinque crucium disposita accendit inter precandum. Quo facto templum donariis exornatur, candelabra apponuntur, Missa celebratur, et indulgentiae illis, qui hoc templum frequentabunt, promittuntur. Epulae tandem laetae totum opus coronant. Casalius de vid. Christ. c. 33. harum ceremoniarum finem et sensum uberius explicat: item que Hospinianus de templis lib. IV. c. 2.

In dedicatione templorum iis quoque iam inde a saeculo quarto nomina fuere indita, quae vel a martyre, in cuius sepulchrali loco templum exstructum erat, vel cuius reliquiae in illis asservabantur, vel a fundatore, vel alia quadam occasione memorabili desumptum est. Augustinus de Civ. Dei l. 22. c. 10., nos martyribus, inquit, non templa, sicut Diis, sed memorias sicut hominibus, quorum a quod Deum vivit spiritus, fabricamus. A fundatoribus Carthagine templa Fausti, Lauren-





tij, Arcadii fuere denominata, vid. Sozom. VII. 15. Ab alia quoque occasione v. c. a loco, a præsentia imperatoris, a veteribus possessoribus (v. c. Lateranensis ideo sic dicta, quod basilica, quæ in templum conversa est a quodam Latera sub Nerone fuit possessa,) a quodam beneficio Ecclesiæ, quod ex hoc templo enatum est, v. c. templum Constantinopoli erat quod *ἀναστασις* ideo vocabatur, quod purior doctrina in illo post Arianismum emergere et quasi reviviscere coepit. Procedente tempore et gentilismo sensim in ecclesiam irrepente, templa sanctis, tanquam diis tutelaribus perperam fuere dedicata et ab illis quoque nomina traxerunt. Hæc de templis Christianorum in universum dixisse sufficiant.

*Viri Magnifice,  
Summe Venerandi, Consultissimi, Experientissimi,  
Doctissimi,  
Viri omnium ordinum longe celeberrimi.*

Templum academicum, quod Wittenbergæ est, iam ex cinere, ad quem elapsi belli iniuria redactum erat, surrexit: diesque instat, quo publice dedicabitur Deoque Statori huius multis nominibus venerandi templi de nouo consecrabitur. Quilibet verus verbi diuini et cultus repurgati amator hoc templum vel ideo magni facit, quod ex illo quasi primordia reformationis enata, et ex hoc Zione splendor euangelii obnubilatus antea denuo emicare omniumque oculos collustrare coepit. Hoc nomine templum illud veluti mater omnium templorum nostræ repurgatæ religionis sacrorum considerandum est. Quilibet ergo verus Christianus hilaritate non perfundi nequit, quod hic dies nobis tandem Dei beneficio appropinquet, quo templi huius dedicatio solennis fieri et Deo Opt Max. grates debitæ pro auxilio, quod in hoc templo exstruendo quam benignissime præstitit, persolui possunt. Quid ego igitur facerem cuius quondam Vester atque cliens, quin gaudium animi mei de hoc felicissimo et candidissimo calculo connotando



do die, vel hoc documento significarem; meaque vota ovantium lætan-  
tiumque choris, etiam in loco valde dissito, immiscerem? Faxit Deus  
ter Opt. Max. ut templum hoc factum atque incolume ad extremum us-  
que diem conseruetur! oculis providentiæ suæ diu noctruque illud tue-  
alitur; alis suis illud ipsum, omnesque illud frequentantes protegat;  
præsentia sua gratiæ plena ibi habitet; purioremque doctrinam in illo  
templo perpetuo resonare iubeat; omnibusque cultus divini modis,  
in hoc templo peragendis quam benignissime annuat! Vos vero Viri,  
Magnifice, Summe Venerandi, Consultissimi, Experientissimi,  
Doctissimi, Viri omnium Ordinum longe celeberrimi, Patro-  
ni pie devenerandi, Summus rerum humanarum arbiter cum Vestris  
tanquam columnas ecclesiæ et fulcra reipublicæ litterariæ, diu adhuc  
rebus humanis interesse iubeat; et inclytæ musarum Sedi Vestræ  
Spiritus sui gratia porro adfit! ut Witteberga porro sit similis civitati  
Abel, in qua Dei consilium sciscitari poterat. De cætero favori  
Vestro pereximio me et in posterum, summam animi mei venerationem  
et gratissimum pro exhibito olim favore, mentis affectum testifi-  
caturus, de meliorinota commendo. Dedi Loes-

nitii, d. 4. Aug. 1770.



Hinweise

Signatur	2 A 6380	Stok	8
----------	----------	------	---

RS

Bub

AK

Titelaufn.

AKB

FK

Hauptwerk, Aufb. 1. u. 3. S: Je 1 Acte Kinde  
Aufb. 2 u. 4: Je 1 Execut. Schöff. Kame  
De

Bio K

Bild K

SWK

Sonderstandort

Signum

Ausleihe-  
vermerk

III/9/280 Id-G 80/62

